





AD  
SVPREMVM HONOREM  
GLORIOSISSIMAE MEMORIAE PRINCIPI  
**FRIDERICO AVGVSTO**  
REGI POLONIAE ET SAXONIAE  
ELECTORI

A. D. XIII. KAL. DECEMBR.  
SOLLEMNITER ATQVE PIE HABENDVM  
PATRES ACADEMIAE PROCERES  
REI PVBLICAE VNIVERSOSQVE  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS  
**CIVES**

I N V I T A T.

**R E C T O R**  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**DANIEL WILHELMVS TRILLERVS D.**  
SERENISSIMO PRINCIPI REGIO POLONIAE ET  
ELECTORI SAXONIAE A CONSILII AVLAE PROFESSOR  
MEDICINAE PRIMARIVS ET ILL. ACAD. SCIENTIAR.  
BONONIENSIS SODALIS

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.

10

1763  
7c



AD

EXTRIMVM HONORVM

GLORIOSISSIMAE MEMORIAE PRINCIPIS

FRIDERICI AUGUSTI

REGI SACCIAE ET SACCIAE

ELECTORI

IN REGIA

ACADEMIA SACCIAE

PATRIS ACADEMIAE PROFESSORIS

ET PUBLICAE UNIVERSITATE

GENIOSISSIMOS ATQUE

CINE

IN VITAT

R E C T O R

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

DANIEL WILHELMUS TRILLIUS D.

PRINCIPIS REGIO SACCIAE ET

SACCIAE ACADEMIAE PROFESSORIS

ET PUBLICAE UNIVERSITATE

GENIOSISSIMOS ATQUE

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS



**Q**uam difficile et arduum opus sit, magnos Principes pro dignitate laudare, si intelligunt, qui praeter dicendi artem alia quoque studia, et civilem praecipue doctrinam, sibi comparauerunt. Caesaris laudes aliquoties Cicero persequitur, sed ut callida simulatio hominis Pompeiani satis adpareat. Egregium Traiano panegyricum Plinius dixit; quem tamen multi arguunt, quasi suum principem exprefserit, non qualis fuerit, sed qualis esse debuerit. Antonino ut nemo unquam veras laudes inuidit; ita Eumenius Frontonem, Romanae eloquentiae non secundum, sed alterum, decus, subtiliter notat, quod belli in Britannia confecti laudem ipsi dederit, cuius gerendi auspiciam in urbis palatio residens alteri mandauerat. Laudauit varios coram Romano pontifice reges Muretus; sed dum Tullii sui formulas adfectat, parum reuerentiae ostendit, quod humilium clientelarum loco fortunam inter mortales summam defensionis sacri praefulis commendauit. Nemo disertius Daniele Eremita principis laudandi elogium exsecutus fuerit; modo Italiae facetiae aliorum maiestati pepercissent. Sed haec de oratoribus. Iam si de historicis et philosophis agendum esset, infinita materia nasceretur?

Sanctitas regum, et quorum secundum eos potentia eminet, non hominum solum existimatione constat, sed diuino et humano iure defenditur, ut praeter ceteros Boemerus et Ludewigius erudite docuerunt. Ipsa sacra Dei

A 2

oracu.

oracula vel occultas cogitationes in reges iniurias vetant. Deus, quos suae potestatis vicarios populis rectores constituit, sic semper contra violatores maiestatis eorum vindicauit, vt nihil apertioribus in omni historia documentis confirmetur, quam gentes impias in principem celerrimis poenis obnoxias, aut vbi sceleribus istis modum excesserant, exitio datas fuisse; quod ipsum toti generi humano variis locis diuini scriptores denuntiant, neque prudentiorum quisquam hodie inficias iuerit. Iure reprehenduntur Tacitus, Suetonius, Bodinus, et, quicumque pro libertate stili licentiam amplexi, a contumeliis imperatorum vel regum haud abstinent, nec aliud Romanis, dum Christianorum pietatem defendit, acerbius Tertullianus exprobrauit. Neque aberrare ab ipso veri fonte eos dixeris, qui ruinam orientalis et occidentalis imperii non ex alia potiore causa praecipitaram fuisse, senserunt, quam, quod exolefcente Dei metu, qui suae potestatis imaginem in imperatoribus tot gentes ditione complexis coli voluit, nefandis defectionibus toties huius vindictam lacefferint; quod vel sua aetate Theodoricus Gothus clare testatus erat. Aliorum regnorum haud aliunde impulsorum fata satis nota sunt.

Iam vero nihil ipsa sapientia euidentius praeceperit, quam eorum maiestatem iusta reuerentia prosequi, quorum a voluntate, imperio, et benefactis, generis mortalium salus et felicitas pendeant. Quantum ipsis in haec facultatis est, tantum non venerationis modo et cultus, verum amoris

ris

ris etiam debetur. Nam si non aut  
liberos parentibus deuincit, quam quod horum opibus et  
beneficiis in dies iuantur; quanto iustius principibus obli-  
gamur, qui totius rei publicae VERISSIMI PATRES sunt,  
et integros populos pro sobole sua curant, regunt, susten-  
tant, tuentur. Quis, nisi ab ipsa hominis natura descie-  
rit, his obsequium, fidem, amorem negauerit? Quis non  
vltro officiorum meminerit, quae eo ipso grata et dulcia  
sunt, quod ad nos non minus inde fructus perueniat,  
quam ad eos, quibus tribuuntur? Nemo dixerit meliorem  
eorum esse conditionem debere, a quibus vitam accepi-  
mus; quum hi ipsi vitam, fortunas, salutem, principum  
pro omnibus excubanti prouidentiae in acceptis referant,  
neque nos his frui sine eorum ope possimus. Si ergo a  
Deo, omnium bonorum auctore, discesseris, primus occur-  
rit, cui pius et gratus animus praestandus sit, quisquis in  
societate hominum illius vices gerit, et ipsam diuinitatis  
compellationem ex personae maiestate fortitur.

Amor sane his debitus in ipsis tribuendis laudibus  
perspicitur, quas per se iustas aequasque officii ratio effi-  
cit; sed vt verae habeantur, vt ad aliorum admirationem  
excitandam valeant, vt hominum animis et adfensione po-  
tiantur, recta virtutum aestimatione adsequaris. At enim  
nulla in re maior iudiciorum varietas, si non licentia quo-  
que est, quam vbi de imperantium virtutibus ac vita cen-  
suram passim publica fama vsurpat. Quae enim tam fallit,  
quam fallitur, vbi diuersorum adfectuum insidias non ani-  
maduer-

... incommunitus praesertim in historia principum cognoscenda errat, quo audaciores opinionum auctores nacta est. Non attingemus summorum imperatorum regumque exempla, quae ad nostrae aetatis existimationem attingant, aut populorum hodie vigentium honori praedudicium adferant, ne modestiam verbis laudemus, re ipsa violemus. De Octauiano Augusto qui Romanorum post excessum eius sensus fuerint, quum facunda et profunda grauitate Tacitus exponit, eidem iudiciorum aetate, cui obnoxiam tanti principis memoriam fuisse refert, subiecisse suum ipse opus a multis subtilibus arbitris censetur. Sunt enim, qui tetrico et infenso virtutibus ingenio finxisse sibi eum plura, quam comperisse, statuant. Idemne populus, qui diuinos praesenti Augusto honores largitus gratulari felicitati imperii consueuerat, quod ad hunc vnum summa rerum peruenerit, qui tantumdem amore, quantum potestate, posset, in tam varias post mortem sententias distrahi potuit? Mithridates ad Arsacem scribens vix atrociora Romanis vniuersis exprobrat, quam vni Octauiano obiciunt, qui sinistre omnia eius acta interpretantur. Ne laudatores quidem ea attingunt, quae Suetonio et Dioni Cassio, totque aliis auctoribus, et totius posteritatis consentienti testimonio, merito credimus! Sed quod Augusto tunc acciderat, cur non similiter accidisse Traiano et M. Antonino legimus? Quum praesertim horum actis nunquam saeculi Augustei felicitas restitui poterit, neque sit credibile, ab omni humanae infirmitatis culpa totam eorum vitam vacasse? Si dicendum, quod res est,



est, eas Augusto tragœdias felicitas perpetua excitauerat, quae inuidiam pepererat inter eos vel maxime, qui nondum legitimi principatus iura agnoscere aut frena pati, improspera et vana veteris libertatis cupidine, voluerant. Hinc, qui Augustum amauerant, vt priuatum fere, nouo adhuc principis nomine, amauerant; quid sit amare principem, felicitatis publicae auctorem, nullo ab externis metu neque publicis adhuc malis edocti fuerant; nedum vt prouidentiae diuinae beneficium profana suarum virium fiducia inflati et a vera religione alieni homines agnouerint, quod vnus curis omnium securitas protegeretur. Traianus contra atque Antoninus, iusta principatus forma dudum inducta, quod amore suorum potentius, quam armis, imperarent, inuidiae suam maiestatem subtraxerant, et ipsis rei publicae discriminibus, vt eo impensius amarentur, meruisse prope indicati fuerant. O ergo felices horum principum virtutes, quorum verissimum argumentum est, sincerus atque incorruptus amor suorum! O pulcherrimam de inuidia relatum victoriam, quae votiuus clypeis inscribit: OB CIVES INTER DISCRIMINA SERVATOS!

Habent hoc, qui historias sola publici saporis voluptate imbuere student, vt in aestimandis virtutibus principum, quorum magnitudinem admirationi posteris esse cupiunt, semper fere ad felicitatem actionum, quam censent, respiciant, et sapientiam euentis meriantur: parum gnari conditionis rerum humanarum, in quibus saepe vtilitatem

litatem etiam aduersa adferunt, neque ipsa secunda perpetuum profunt, nisi ex honestis principiis orta eo exitu terminantur, qui institutas salubriter rationes consentire cum iustitia doceat. In his autem, quae iusta vocari mereantur, obseruanda quaedam est veritas, recta et inconcussa, neque loco suo vel mundi ruinis mouenda. Haec olim VERORVM et VERISSIMORVM cognomina amabilibus principibus peperit, felicitati Sullanae non comparanda modo, sed longe etiam anteferenda: haec ut similitudo cum Deo, haec, ut diuinitas in ipsis sit, praestat: haec est virtus, tot aliarum parens, quam vnam semper in solis regum adlidere, et moderatrici orbis terrarum prudentiae in consilio adesse deceat. Hanc quisquis principum tota in vita eminentem secutus est, is nobis abiisse supra mortales coetus, et vel regali fastigio alius quiddam animo comprehendisse, et ipsi coelo cognatas curas participasse, iure videbitur!

Non caperet hic locus nomina, nedum virtutes et merita, tot PRINCIPVM S. RENISSIMORVM, quorum constantissimo amore Saxonia omnis aevi exempla dudum superauit, et in longe pulcherrimo gratiarum habendarum certamine omnes bonos ciues occupatos vidit. Testes saltem adpellare Melanchthonas, Camerarios, Fabricios, Buchaeros, Wilkios, Schurtzfleischios, Felleros, Bergeros, Rechenbergios liceat, quale decus patriae piaes et felici pepererit, quod fide, obsequio, et veneratione imperantes sibi tot heroes sic semper coluit, ut ad vindicandum

dum nōminis Germani honorem non maiora aut clariore  
documenta proferri aliunde queant, et hanc pietatem alibi  
adcuratis praeceptis doceri et informari, apud nos indige-  
nam veluti esse, et ingenti exemplorum vbertate semper  
florere et vigere dicas. Colimus viuos, honoramus defun-  
ctos Principes sic quidem, vt ex hac commūni gloriā sibi  
quisque priuatim particulam, quam licet, decerpere ge-  
stiat, et nulla popularior aut gratiosior oratio reperiri pos-  
sit, quam quae commemorandis illorum laudibus et rerum  
gestarum memoriae consulit, et virtutum commendationi  
seruit, et posteris tot AVGVSTAS ET REVERENDAS  
IMAGINES ad imitationem proponit.

Ipso superiore funestissimo bello, cuius atrocitate sic  
perculsi et exanimati eramus, vt mille in dies terroribus  
et periculis obiecti, qui superstites sumus, aegrum spiri-  
tum in luctu et squalore pluribus annis traheremus; nul-  
lo tamen maiori cruciatu torquebamus, quam AVGV-  
STI patris perpetua, filii heredis FRIDERICI CHRI-  
STIANI, et RELIQVAE DOMVS REGIAE temporaria absentia.  
Nulla fuit vel quouis die hominum etiam paucissimorum  
publica aut priuata congressio, in qua non clare et palam,  
indignantibus interdum, qui fidem nostram tam facile,  
quam arma, vinci optassent, vota pro salute et felici reditu  
PRINCIPVM fierent. Audierat Deus pias preces, vt, pa-  
ce facta, ad venerationem et REGIS et totius FAMILIAE  
AVGVSTAE omnes Proceres laeti atque alacres con-  
fluerent, magna etiam populi pars, rerum suarum cura  
officio et laetitiae publicae occasione postposita, ad regi-

B

am

am tenderent. Omnium vna mens et vnus voti consensio erat, vt quae gaudia tunc vniuersi percipiebamus, propria diu nobis essent, nec tristiori quodam casu impedirentur. Sed aliter Deo est visum, quod VIII. Id. Oct. hunc REGEM atque PATREM PATRIAE amisimus, cuius virtutes ingentes effusissimi omnium nostrorum amoris caussae fuerant. Sunt quidem, quae in laudibus D. AVGVSTI, REGIS atque PRINCIPIS MAXIMI, numerentur, tam infinita, tam diuersi generis, tam natura, gradibus, temporibus, disparata, vt nullius ingenium tam velox aut memoria tam sit capax, quin copia electionem et dispositionem vniuersae laudationis difficillimam faciat: sed quaecunque sic propria eius fuere, vt in eorum societatem paucissimi ab omni aevo venire possint, prima fere animis occurrunt. Augusta vetustissimi generis origo et claritas, tot imperatorum, regum, principum cognationes et adfinitates, tot dignitates vnā intra domum, magnitudo potentiae, ditionis, et opum, NVMEROSA FILIORVM ET FILIARVM, PRINCIPVM REGALIVM ET REGINARVM, PROLES, ET COPIA NEPOTVM IN PVRPURA GENITORVM, et quae alia in censum fortunae veniant, et historiis potius reseruanda sint, communia sane ex parte magna cum SERENISSIMIS MAIORIBVS aut similia fuere: singulare tamen in omnibus his fuit, quod nihil horum non et virtutibus meruerit, et suorum operum decoribus et splendoribus auxerit. Filius MAGNI REGIS, nec in minorem spem educatus, iis studiis a puerifese dederat, quae vel sola ingenti famae parandae seruirent

rent. Totius antiquitatis et historiarum cognitio, rerum  
vt vniuersi orbis terrarum, ita Europae praesertim et Ger-  
maniae notitia, acre et excellens circa artes iudicium, per-  
egrinationes eruditae, consiliorum celeritas et maturitas,  
humanitas ciuitasque maiestate salua, forma corporis et  
habitus, amicorum et in aulam adscitorum splendor, et  
quae alia fastigia principum exornant, dudum omnium na-  
tionum et gentium in ore fuerant, et vt mereri regnum  
crederetur, antequam regnaret, effecerant. Successerat in pa-  
terno principatu, tempore quam inexpectato, tam sollicito et  
difficili, minis armorum Europae imminentibus, et Saxoniam  
statim, optime ordinata re publica et prouisis securitatis sub-  
sidiis, constituit, cauitque solertissime, ne nobis ex indul-  
gentia et clementia PATRIS NOSTRI  
PVBLICI aliquid subtrahi sentiremus tunc, quum a Polonis  
et Lichuanis in locum AVGVSTI PATRIS REX ele-  
ctus est. Tum vero, iunctis magnis amicitii, paratisque  
fidissimis et potentissimis terra marique sociis, compressis  
felicissime bellis, et, mox composita pace, vt a Sarmatis  
haud minus, quam a nobis, amaretur, imperii statim ini-  
tio adsecutus erat. Videres tunc Sarmatiae et Saxoniae  
parem sine aemulatione felicitatem, quum vtraque, quam  
discretas vilitatum rationes, tam iunctas vnus Principis  
sapientia vires et rerum vbertatem experiretur. Sed ad  
longe maiora generi humano praestanda beneficia TAN-  
TVM REGEM fata reseruauerant. Bis intra breue  
tempus orbatum imperatore imperium Germaniae ad eius,  
tanquam VICARII, administrationem reciderat. Quae  
tum

tum gesserit, ut libertati et quieti Germaniae consuleret, Europamque, miris irarum et armorum facibus instinctam, rursus pacaret, magno et composito volumine vix explicaretur. Quantum erat, quod surgenti bello imperii maiestatem et legum auxilia opposuit? Quantum, quod adulto arma ex necessitate potius, quam ex vilitate, interposuit? Quantum, quod inter tot aemulorum cupiditates iura SAXONICAE DOMVS non auctoritate minore, quam prouidentia et consilii copia, conseruauit? Quantum, quod oblatum a quibusdam imperium, oblata erepta aliis spolia, tanta constantia recusauit, vt satis pateret, vel vnicum patriae vulnus sanasse, quam mille felices ictus inferre, ipsum potius habuisse? Quantum elocatae FILIAE, vna MARIA AMALIA, CAROLO, Siciliae tunc et Neapoleos, Hispaniarum hodie maximo Regi; altera MARIA ANNA, MAXIMILIANO IOSEPHO, Imp. CAROLI VII. filio, Baouariae Duci et Electori; tertia MARIA IOSEPHA, LVDOVICO, LVDOVICI XV. Gall. Reg. filio, regni heredi? Quantum, iuncta felicissimi auspiciis, FRIDERICO CHRISTIANO, Principi Regio et Saxoniae nunc Duci et Electori, MARIA ANTONIA, CAROLI VII. Imp. item filia? Quantum, nepoti ex filia FERDINANDO IV. regnum vtriusque Siciliae, a CAROLO patre, Hispania potito, concessum et confirmatum, vidisse? Quantum, coniunctio tot Europae partium per connubia, et prouisa DOMVI AVGVSTAE SAXONICAE per adfinitates munimenta? Quis non gloriam nostri nominis a Vistula et a Danubio ad Trinacriam, et ad Sequanam, et ad Herculis columnas vsque propagatam hoc felicitatis cursu fateatur? Quis non, hac inuidiam prouocari potuisse, concedat? Sed ne minor inter aduersa, quam secunda, AVGVSTVS NOSTER, sed eheu totum NOSTER! cognosceretur, visum Deo erat, Saxoniam tot beneficiorum, quibus in pace parum grate vteretur, immissa bis durissimi belli calamitate admonere.

Omnia

Omnia egerat **OPTIMVS PRINCEPS**, vt post **CAROLI VI.** Imp. obitum quies rei p. conseruaretur, et quisque Principum Germaniae reliquorum suo iure, ditione, et opibus, libere et ex dignitate imperii frueretur. Id edita **VICARII**, id in comitiis propositae rationes, id data legis per totius Europae auras mandata, solum atque vnicum spectauerant. Sed, qui sua potentia confidebant, speculati occasionem, quae ex hereditate Austriaca nascebatur, iis animorum motibus discederant, vt sine armis componi controuersiae non possent. **DOMVS SAXONICAE** non iura quaesita minus, quam imperii salus, exigent, vt aliarum partium, prouci callidis destinatis occurrendum fuerat, accessio fierent. In nos hinc totius belli impetus incuberat, et satis care luimus fidem, quae, si penes eos fuisset, apud quos ex foedere esse debuisset, aut si salutaria **AVGVSTI** monita valuissent, nunquam laborauissemus. Hic vero, quantum auertis ab asturo alienis insidiandi proposito, tantum in omni actione **VERISSIMVS**, hoc est iustitiam causae cuiuslibet spectans, et vel suis detrimentis damna imperii communia sarcians, pacisque restitutae primus Pragae auctor et conciliator, coli amarique non a suis magis, quam ab alienis quoque, vt qui optimo iure, meruit. Lenitas hinc, clementia, et in ignoscendo facilitas, nobis omnibus solatio, vniuerso terrarum orbi admirationi, erant. Hinc **PATER PATRIAE VERISSIMVS**. Hinc inter **PRINCIPES SAXONVM**, a virtutibus cognomina adeptos, dicitur simul **CONSTANTISSIMVS**. Nuperi belli magnitudo, atrocitas, crudelitas, et insaniabili prope ob causarum implicatissimarum varietatem error, an intemperies? omnium adhuc oculis animisque obuersantur. **AVGVSTVS NOSTER**, vbi quieto, vbi inter partes medio, vbi pacatori rursus esse, non licuerat, quantis laboribus id enixissime studuisset, relictis suis, a quibus ardentissime amabatur, interea tranquillus et serenissimus defacientis belli procellas absens et Mineruae paci-

paciferae operatus, quia apud quosdam tanta consiliorum  
mutabilitas et animorum dissociatio nullam in armis foede-  
ratorum reliquam salutis spem fecerant, idem rursus mu-  
nus PATRIAE inter tanta discrimina seruatae obtulit, PA-  
CEM. O seruantissimum iusti et aequi PRINCIPEM,  
qui, dummodo suis consulere, hanc pacem, ad quam non-  
nullorum e foederatis opera parum profuerat, vel testatissi-  
mis et ex ipso gentium humaniorum more enatis iuribus  
praetulerit? Pacem, quae amnestiae similior, quam ei  
nomini, quod accepit, videatur his, qui solos utilitatum  
calculos subducere solent. Pax tamen nobis erat, qui  
amantissimum et indulgentissimum PATREM PA-  
TRIAE haud alia conditione recipiebamus, et, piis pro-  
salute PRINCIPIS votis nuncupatis, coelo cerratim gra-  
tias agebamus. Coacta statim Procerum comitia; consul-  
tatum haud aliud, quam quibus, modis AVGVSTVS,  
REI P. CONSERVATOR, iis succurreret, quorum fidem expercus  
fuerat, et conciliatam semel pacem quam securissimam  
praestaret. Certabatur egregijs consilijs, studijs, volun-  
tatis, tam eorum, quos SACRI SVI CONSIS DORII PARTICIPES  
AVGVSTVS, REI P. INSTVRATOR, delegerat, quam PRI-  
MORVM NOBILITATIS SAXONICAE, quae obsequio  
et fide erga PRINCIPES suam gloriam, suos honores,  
sua decora, semper metiri fuit solita; erecti omnium post  
tam luctuosas aerumnas erant animi: spes, salus, fortuna,  
reductae erant: quum Dei immortalis nutu ingentem nec  
opinato nuntius omnibus moerorem adfert: AVGVSTVM  
VIXISSE! Hic vero stillantes lacrimis oculi  
calami versus confundunt, et percussus dolore animus ni-  
hil aliud, quam arcanorum coelestis providentiae admira-  
tionem cum gemitijs, admittit! Vita et acta reliqua TAN-  
TI PRINCIPIS, scriptorem expectant et merentur, qui  
euentus suis rationibus assignandi, et naturam rerum hu-  
manarum, duce sapientia, perferendi, Thucydidea qua-  
dam facultate polleat. Nostrae autem tristitiae, eo maio-  
ri,



ri, quo tenerior amor erga PRINCIPEM, parentis publici per omnia uices obeuntem, fuerat, nulla res adferre medicinam posset; nisi et hoc in D. AVGVSTI rebus diuinum esset, quod FILIVM SVCCESOREM FRIDERICVM CHRISTIANVM reliquit, cui MYLTOS AVGVSTOS SAXONVM inesse, iam exordio beatissimi principatus cognoscimus.

Ista tamen tanto vulnere haec praefertim academia, OPIS PRINCIPALIS vel maxime egens, et beneficiorum acceptorum cum veneratione memor, ne pietati desit, supremum honorem defuncto, sed meritis aeternis victuro, REGI AVGVSTO, OPTIMO, PIO, CONSTANTISSIMO, VERISSIMO, persolueri cupiens, ad id munus delegit VIRVM, qui adfectu sane et animi candore singulari vicibus singulorum nunc fungatur, et communium sensuum, questuum, votorum, religiosus interpret, ea quam sollemnissime peragat, quae ad testandum posteris cultum, quo memoriam ILLIVS prosequimur, et quem ius regiae maiestatis requirit, amor vero imperat, vnice pertinent. Est hic IOACH. SAMVEL WEICKHMANN, V. S. V. SS. *Tb. Di. et Prof. P. ord. Sen. Eccl. Assess. et ad OO. SS. Praepositus*, cuius vt reliqua, CIVES, decora nostis, ita religionem, et doctrinam, et virtutem diligitis. Iidem testes esse poteritis, quae erga REGEM, nobis ereptum, TOTAMQUE DOMVM EIVS AVGVSTAM, fide fuerit, etiam tunc, quum vix sine periculo, certe non sine inuidia et offensa ostendere licebat, quomodo animati, melior pars, essemus. Hic ad comitia Saxoniae Drefenensia publice ablegatus nuper praefens et conscius omnium, quae ibi eueneri, plura percepit, quae hac occasione in considerationem iuste veniant. Itaque a. d. XIII. Kal. Ian. qui instat, hor. a m. IX. in auditorio maiore ad consecrandam AVGVSTI III. memoriam orationem habebit, et diuiniae providentiae decreta circa mortem EIVS venerabitur. Vos autem, qui, religione puriore

re magistra; reuerentiam principibus a Deo proxime deberi didicistis, huic pio academiae instituto studiis vestris animorumque pro beneficiis REGIS gratorum ardore eo minus deeritis, quo plus ab OPTIMI PRINCIPIS OPTIMO SUCCESSORE ET FILIO in dies obligamini.

Quod vnum superest, TE, DEVS AETERNE, cuius in reges supremum imperium est, supplices rogamus, hunc FRIDERICVM CHRISTIANVM iam plane nostrum, PRINCIPEM POLON. ET LITHVAN. REGIVM, DVCEM ET ELECT. SAX. CELSISS. ET SERENISS., per omnia adiuvata, consiliorumque, quae ad TE, referre solet, prosperrimos exitus largire; IPSVM QVE, in quo ingens ADMIRANDORVM SAXONIAE HEROVM ET VERGETARVM instar veneramur, nobis diuissime praesse et interesse sinas! IPSVM nuper PATRI in componenda pace conciliatorem, socium, et adiutorem, qui dederas, EIVS saeculo hanc perpetuam dona; vt TVA religio dominetur, fortuna rei p. adsit, honestae artes vigeant, boni mores valeant, et PRINCIPIS atque subiectorum salus ab vno fonte, TVA benigna ope, defluat! Omnia haec eadem MARIAE ANTONIAE, quam IPSAM non sine TVO numine tui principalis sociam sortitus est, haec FILIIS FILIABVSque, haec FRATRIBVS et SOCIORIBVS, PRINCIPIBVS REGIS aut REGNIS, haec TOTI DOMVI AVGVSTAE tribue; haec omnes intelligant, SAXONIAM TIBI CARAM ESSE!

P. P. Vitebergae a. d. XIV. Kal. Ian. A. S. R.

1664 CC LXIV.



ULB Halle  
003 770 109

3



*50*





inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

AD  
SVPREMVM HONOREM  
GLORIOSISSIMAE MEMORIAE PRINCIPI  
**FRIDERICO AVGVSTO**  
REGI POLONIAE ET SAXONIAE  
ELECTORI

A. D. XIII. KAL. DECEMBR.  
SOLLEMNITER ATQVE PIE HABENDVM  
PATRES ACADEMIAE PROCERES  
REI PVBLICAE VNIVERSOSQVE  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS  
*CIVES*

I N V I T A T.

**R E C T O R**  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**DANIEL WILHELMVS TRILLERVS D.**  
SERENISSIMO PRINCIPI REGIO POLONIAE ET  
ELECTORI SAXONIAE A CONSILII AVLAE PROFESSOR  
MEDICINAE PRIMARIVS ET ILL. ACAD. SCIENTIAR.  
BONONIENSIS SODALIS

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.

10

1963  
7c

